

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0151

0149

0155

0145

0160

manus in terram extensae ita erant in gyrum ut, qui ad idolum pervenire adolescentes cogebantur, ingentem foveam igne repletam incidenter. Hinc et Hebraeorum Scriptura reprehendit eos, qui haec imitati fuerint. Haec Casa de Ev. Spir. Lib. 4. c. 7. Multa enim idola, imo daemones in idolis, non placabantur nisi mortibus innocentum. Et mos fuit propter plures causas pueros immolare. De quo vide Casa de Ev. Spir. L. IV. c. 7. et 8. Cessavit autem hominum immolatio tempore Eliae Hadriani Imperatoris. Huic crudelissimo ritui in hoc monte et in valle profani operam dabant, et Deum haud dubio plurimum offendebant. Ideo mons offensionis dicitur. De hoc idolo Moloch mentio fit Jerem. 32. et Amos V. et Actor. VII.

Insuper in hoc monte instituisse dicitur Salomon domum suarum concubinarum, quarum erat non modicus numerus. Unde Cantic. 6. dicitur: Sexaginta erant reginae, et LXXX concubinae, et adolescentulæ sine numero. Et 3. Reg. II. dicitur: Salomo adamavit mulieres alienigenas multas, quibus copulatus est ardentissimo amore, fueruntque ei uxores septingentae, et concubinae trecentae, et adolescentularum non est numerus. Si ergo textus illi conferantur et intelligantur de Salomone litteraliter, sine spirituali intellectu, necesse erat eum habere multas domus pro tot mulieribus. Reginis ergo construxit castella et palatia, concubinis autem hanc aedificavit domum, adolescentulis autem aptavit loca in domibus parentum eorum. Filia autem Pharaonis, de qua cecinisse creditur canticum cantorum, cui dixit: Una est columba mea, formosa et electa mea, secum in monte Syon mansit. Sed quia eadem domus sanctificata erat propter inhabitationem arcae Domini, aedificavit ei domum juxta suam domum in Mello, ut dicitur 3. Reg. 9., ut semper esset ei propinqua.

Perspecto ergo loco et monte illo, cursu festino descendit vallem, declinans contra montem Oliveti, et juxta pyramidem Josaphat ad fundum vallis veni, eandemque pyramidem curiosius perspexi, eamque intravi per fenestram scandens. Nonnulli dicunt, hanc pyramidem esse titulum, quem sibi Absalon exerat, ut habetur 3 Reg. 18; ubi sic habetur: porro Absalon, cum adhuc viveret, exerat sibi titulum, qui in valle

Ende

Anfang

